

Universitätsbibliothek Wuppertal

Aristophanis Comoediae Undecim

Graece Et Latine, Ad fidem optimorum Codicum MSS. emendatae cum nova octo Comoediarum interpretatione Latina, & notis ad singulas ineditis Stephani Bergleri nec non Caroli Andreae Dukeri ad quatuor priores. Accedunt Deperditarum Comoediarum Fragmenta, A Theod. Cantero Et Gul. Coddæo Collecta, ...

Aristophanes


Lugduni Batavorum, MDCCLX

Vorwort des Übersetzers

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1094](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1094)



STEPHANI BERGLERI P R A E F A T I O.



Textum Graecum in hac Editione Aristophanis exhibemus secundum Editionem majorem, quam Cl. Kusterus procuravit: sed diligenter & multis in locis emendatum, adhibitis etiam Editionibus Aldina, Juntina, Farrei, & Brubachii. Ex his editio Farrei, quam ipse possideo, quae semper utor, plurimum profuit. Eam non ab Aldina originem trahere, ut caeterae, haud dubiis iisque plurimis indicis comperi, ita ut instar MSti fuerit. Plurima sane loca primus emendavi & integritati suae restitui.

Versionem octo Comoediarum novam, & ut puto perspicuam, ipse feci. Caeterarum trium versiones, partim bonas, partim tolerabiles, retinere visum est. illarum octo versiones priores plerumque vel fallunt, vel nihil juvant. Frischlinus pauca intellexit; quae & Comico stylo satis bene vertit. Sed debuisset labore versificandi supersedere. Florens Christianus paullo plura intellexit; sed tam obscurus in plerisque est, ut interprete ipse indigeat. Praeterea huic etiam illud vitium maximum est, quod versibus loquitur & enecat.

In

In Notis nolui peccata interpretum recensendo eosque stuporis & inscitiae sexcenties arguendo spatia implere: ut non paucos vidi facere & admirationem captare. Sit aliorum haec gloria. Dedi autem operam, ut necessaria & ad rem facientia afferrem. Idque ubi fieri poterat ex Scholiis Graecis; quod & indicavi semper; nec exemplum Florentis Christiani sequi placuit, qui multa habet in suis Notis ad conciliandam admirationem & eruditionis reconditae opinionem utilissima. Ornatus autem est plumis Scholiastarum. Plura tamen Scholiaste deficiente ex propriis observationibus contuli. Illud faciendum quam maxime putavi, ut ex Tragicis Poëtis noster illustraretur: ut qui perpetuo ad illos, praesertim ad Euripidem, respiciat, plerumque joci & ridiculi causa res & verba traducens; quod ad intelligentiam scitu prorsus necessarium. Indicem postremo Kusterianum addidimus, quamvis nesciam plusne profint an noceant Indices. Hoc scio a multis diligentius evolvi Indices, quam ipsos Scriptores.

Lipsiae Cal. Maji MDCCXV.

